655.

Marcellus Fran.cus Sandinus Jacobo Facciolato S.P.D.

Redeunti Patavium Franciscanæ familiæ viro opusculi mei exemplum dedi, ut Ferdinando Antonio Darbio Collegæ tuo deferret, à quo illud accipies. Eximiæ tuæ erga me humanitati plurimum debere me fatebor, si munusculum istud tibi ingratum non acciderit, quanquam incomtum, et invenustum, quippe quod per autumnale tempus, ruri, dum otiabar procul à forensibus studijs, à me conditum est. Cave vero, ne quum in omni elegantiorum doctrinarum genere adeo excellas, ut conceptam, comprehensamque animo habeas perfectæ scriptionis imaginem, ac tuis libris mirifice nobis exhibeas, ad eam velis libelli quoque mei sermonem veluti ad normam dirigere.

1v

Nihil enim dissonum magis. Si secus feceris, prouocabo ad philosophiæ Aristotelicæ interpretes Arabos, qui præclara illa vocabulorum monstra pepererunt, quibuscum tibi esset quotidie pro munere tuo colluctandum. Quid? an dubitem, quin illi secundum me pronunciaturi sint? Ac tibi sanè eorum judicium eò magis pertimescendum, quò acrius iisdem tu bellum indixisti, qui profligatis eorum dictionibus Tulliano eloquio idem, ac ipsi, argumentum pertractes. Accedit, me, quo minus elegantiam latini sermonis assequi potuerim, causari meritò posse forensis barbariem orationis, quæ meas quotidie aures circumsonat; hæc autem Arabis etiam

2

acceptæ referenda est, quorum acuta, et exquisita uocabula ad Aristotelem interpretandum adhibita, Acursius, Bartolus, Baldus, ceterique, id genus, iurisconsulti medium in forum inuexerunt. Me igitur hoc etiam nomine hostes illi tui vehementer defenderent, quòd suæ imitatorem agnoscerent, propagatoremque eloquentiæ. Sed ioci satis. Utere quæso tu, qua soles, in me benignitate; in meisque nugis æstimandis, longè plus amori erga me, quàm limato, ac perpolito judicio tuo largiaris, etiam, atque etiam rogo. Cura ut valeas; et literariam remq: crebro aureis tuis orna monumentis. Romæ v Kal: Decembris CIƆ. IƆCC. XXVIII

2v

accepto desiderio est, quorum a te
exquisita vocabula ad Dictionarium in-
corporandum adhibita, Acuarius Tan-
tolus, Pallius caeterique ingenui viri
consulti maximo in forma maxime
Ne igitur hoc etiam nomine noster
illi tui vehementer desiderarent quod
[illegible]
gratissimaque [illegible]. Et tam fa-
cis. Vere quasi ea qua soles in me
benignitate in meaque negotia offi-
ciosa, longe illud amori erga me
quam tuo singulari ac perspicuo judicio tri-
buenda etiam atque etiam rogo. Cura
ut valeas, et literarum regno; crebro
autem tuis me monumentis Roma
v Kal: Decembris CI. DCC. XXVIII